

tam gaudii quam mali expertes: alii, maxime vetusti patres, eas collocarunt in paradyso, quem existimabant a coelo beatorum esse diuersum: alii <sup>1</sup> eas reposuerunt in loco quodam tertio, maxime extraordinario, solis huiusmodi animabus, in corpus reddituris, proprio: alii putarunt eas vere in coelo aeternorum gaudiorum fuisse participes: alii idem crediderunt, ita tamen, ut animas illas non tanquam conuiuas coenae coelestis, sed ut spectatores tantum et hospites interfuisse existimarent. Has inter tot sententias quaenam verior sit, optime forsan scire possemus, si interfuissemus colloquiis Lazari ad vitam reuocati. *Hic enim*, si cui narrationibus Barradii, at grauis historici, <sup>2</sup> credere laltet, *ad uitam reuersus de statu animae post hanc vitam multa hominibus narravit, siveque, accedente suada flexanima, eos ad fidem allexit.* Porro pari ratione de iterata morte istorum disputatur. Quibusdam enim a clementia et justitia Dei alienum esse videtur, ut animae, quae stipendum peccati iam meruerint, legique semel moriendi satisfecerint, ideoque a peccatis fuerint iustificatae Rom. VI, 7. iterum in corpora peccatis inquinata detruderentur, poenamque mortis rursus subire cogerentur. Itaque putant, homines illos non iterum fuisse defunctos, sed ad instar Eliae et Henochi postea viuos in coelum delatos. Alii vero media via procedunt, ac dicunt eos nec viuos in coelum profectos, nec rursus mortuos, sed per immutationem *ανάλογον* quodam mortis sensisse, cum certum sit eos non ad spiritualem ac gloriosam vitam sed ad animalem in terra producendam fuisse resuscitatos. Contrario alii, praecipue qui fomitem peccati demum in cinefactione extingui arbitrantur, statuunt necesse omnino fuisse, ut illi secunda vice mortem oppetierint. Cum enim in corpora peccato originali adhuc subie-

Eta

<sup>1)</sup> Ita Fechtius in Compendio Theol. cap. 27. §. 4. p. 697. et Mich. VValtherus centur. miscell. Theol. quacit. XIX. p. 294. <sup>2)</sup> Apud Gerhardum confess. cathol. lib. II. p. II. art. 9. p. 990.